



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

desero, etiamsi addere aliqua videor, & explere quae desunt, aut brevare quae longa sunt, furari tamen A
 titulum eius, qui fundamentum operis jecit, & construendi aedificij materiam praebeat, rectum non puto.
 Sit sane in arbitrio legentis cum opus probaverit, operis meritum cui velit adscribere. Deinde in Per-
 oratione verba haec dolose adjecit: *Sunt enim mihi; In his quae scribis, quoniam plurima in eis*
tui operis habentur, da titulum nominis tui, & scribe: Hieronymi, verbi gratia, in Epistolam ad Roma-
nos Explanationum libri. Hinc delusi bardi homines Hieronymi nomine librum praescripse-
 runt. At vel ex eo stoliditas eorum arguitur. Nam si Interpretes fuisset Hieronymus, cur vo-
 ces illas, *verbi gratia*, addidisset, quae declarant fictitium esse & ascititium id nomen, non
 legitimum? Subjungit paulo post converturum sese Clementis libros; quod à Rufino fa-
 ctum esse constat, non ab Hieronymo; tum ait: *Satisfaciam sane in eo amicis meis; dabo titulo*
nomen meum, Auctoris nihilominus vocabulo permanente: nam Hieronymi ne putetur, Clemen- B
ter: Hieronymi nempe, cuius nomen adscriptum supra finxit. Eadem versutia usum esse
 non semel Rufinum jam supra notavimus. In Prologo Homiliarum in Iosue sententias
 Hieronymi & stilum referre conatus est. In Praefatione ad libros *αὐτῶν ἀρχῶν* nomen suum
 celavit. Ita occultando Origenismo, & traducendo Hieronymo fucum vulgo faciebat.
 Minime itaque assentior Erasmo, mangonij hujus librarios insimulanti, & ad emtores al-
 licendos praetextum ab iis Hieronymi nomen censenti. Praeter contractam illam & trun-
 catam Rufini interpretationem habemus Tomi primi portionem in Apologia Pamphili;
 longe vero ampliolem capite Philocaliae 24. Aliud quoque è Tomo nono fragmentum
 nobis offert caput ejusdem Philocaliae nonum. Exiguam denique particulam ex eodem
 Opere subministrat alio Apologiae loco Pamphilus. Tomum vero, unde translata est, non C
 notavit. Atque haec cum legitimum horum Commentariorum Auctorem Adamantium
 esse clarissime demonstrant; non dubitavit tamen novitius quidam scriptor Heterodoxus
 hos ipsos in suppositivorum Origenis scriptorum seriem conicere; à Gulielmo Perkinso
 delusus, qui eos male quidem à Rufino convertos scripsit, quod verissimum est; Origeni
 vero falso esse tributos neququam cogitavit.

Brevem libri tertij in Epistolam ad Colossenses laciniam, & alias libri in Epistolam ad
 Titum nonnullas Apologetico suo Pamphilus insultit. Hieronymus in Epistola ad Mine-
 rium & Alexandrum fragmentum affert è tertio volumine *Ἐξηγητικῶν* Origenis in
 primam ad Thessalonicenses. Ex Homiliis in Epistolam ad Ebraeos paucula quaedam descri-
 psit Eusebius libr. 6. Histor. cap. 25. Indidem nonnulla affert Pamphilus diversis Apolo- D
 getici sui locis.

Multa praeterea è variis Origenis lucubrationibus fragmenta Catena subministrant; sed
 neque locos unde illa petita sunt indicant; nec certa est Catenarum fides, ut monuimus
 alibi. Quapropter fragmentorum quae ex iis profecta sunt, nullam hic habendam rationem
 duximus. Ex iis autem excerptae sunt multae Origenis in varios Scripturae libros *Ἐξηγήσεις*,
 quae in Vaticanæ Bibliothecae Catalogis commemorantur.

SECTIO QUARTA.

DE ORIGENIS TETRAPLIS, HEXAPLIS, ET OCTAPLIS.

I. Proponitur Epiphaniij sententia de Origenis Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis. II. Af-
 feritur propositus duarum Ebraicarum columnarum in Hexaplis, & Octaplis situs. III. Qua-
 eritur quare in Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis Theodotionem Symmachus praecesserit. IV.
 Investigatur mens Eusebii de Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis. V. Vnum & idem opus
 fuerunt Hexapla, & Octapla. VI. Ex superioribus recentiorum multorum errores arguan-
 tur. VII. Editionem Interpretum Septuaginta, quae in Hexaplis habebatur, asteriscis, obe-
 lis, lemniscis, & hypolemniscis Origenes distinxit. Ei praeterea quae erat in Tetraplis Scho-
 lia adjecit. VIII. Editionem *ἑξ* Hexaplis intextam emendarunt Eusebius, & Pamphilus,
 & primi seorsum vulgaverunt. Inde triplex illo tempore editio *ἑξ*, Origeniana, Euse-
 biana, & novh. IX. Eadem circiter tempestate novh. resarcit Lucianus, resarcit & Hesy-
 chius. Hinc quintuplex *ἑξ* editio. X. Suas quoque editiones asteriscis, & obelis discrimi-
 narunt Lucianus, & Hesy chius; ut & suam *ἑξ* interpretationem Hieronymus. Inquina-
 ta sunt & vitata hodierna omnes *ἑξ* editiones.